

Itaque ipse mea legens, sic afficior interdum, ut Catonem, non me loqui existimem; sed ut tum ad senem senex de senectute, sic hoc libro ad amicum amicissimus de amicitia scripsi. Tum est Cato locutus, quo erat nemo fere senior temporibus illis, nemo prudentior: nunc Laelius, et sapiens (sic enim est habitus) et amicitiae gloria excellens, de amicitia loquitur. Tu velim animum a me parumper avertas, Laelium loqui ipsum putes. C. Fannius et Q. Mucius ad socerum veniunt post mortem Africani; ab his sermo oritur: respondet Laelius; cujus tota disputatio est de amicitia, quam legens tu te ipse cognosces.

*Fannius.* Sunt ista, Laeli; nec enim melior vir fuit Africano quisquam, nec clarior. Sed existimare debes, omnium oculos in te esse coniectos; unum te sapientem et appellant et existimant: tribuebatur hoc modo M. Catoni. Scimus L. Atilium apud patres nostros appellatum esse sapientem; sed uterque alio quodam modo: Atilius, quia prudens esse in jure civili putabatur: Cato, quia multarum rerum usum habebat: multa ejus et in senatu, et in foro, vel provisiva prudenter, vel acta constanter, vel responsa acute, ferebantur; propterea quasi cognomen jam habebat in senectute sapientis. Te autem alio quodam modo, non solum natura et moribus, verum etiam studio et doctrina, esse sapientem: nec sicut vulgus, sed, ut eruditi, solent appellare sapientem, qualem in tota Graecia neminem. Nam qui septem appellantur, eos, qui ista subtilius quaerunt, in numero sapientium non habent. Athenis unum accepimus, et eum quidem etiam Apollinis oraculo sapientissimum judicatum: hanc esse in te sapientiam existimant, ut omnia tua in te posita ducas, humanosque casus virtute inferiores putes. Itaque ex me quaerunt, credo item ex te, Scaevola, quonam pacto mortem Africani feras, eoque magis, quod his proximis Nonis, cum in hortos D. Bruti auguris, commentandi causa, ut assolet, venissemus, tu non affuisti: qui diligentissime semper illum diem, et illud